

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Joachim Bellermann Johann Jacob Friedrich Sinnhold

Pavca De Inscriptionibvs Hebraicis Erfordiae Repertis

**Particvla II : Academiae Electoralis Erfordiensis Rector Joann. Jac. Frid.
Sinnhold, Cvm Senatv Academico Ad Resvrrectionis Dom. I. C. Memoriam Sancte
Celebrandam Cives Exhortantvr**

Erfordiae: Litteris Goerlingianis, 1794

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1757160353>

Band (Druck) Freier  Zugang 

CIc-571⁴⁽²⁾



ACADEMIAE ELECTORALIS ERFORDIENSIS
RECTOR
IOANN. IAC. FRID. SINNHOLD,
CVM
SENATV ACADEMICO
AD
RESVRRECTIONIS DOM. I. C.
MEMORIAM
SANCTE CELEBRANDAM
CIVES EXHORTANTVR.



INEST DE INSCRIPTIONIBVS HEBRAICIS ERFORDIAE REPERTIS, PARTICVL A II.

— 8 — 8 — 8 —
ERFORDIAE 1794.
LITTERIS GOERLINGIANIS, ACAD. TYPogr.

CIC-5714(2)



DE
INSCRIPTIONIBVS HEBRAICIS ERFOR-
DIAE REPERTIS.

PARTICVLA II.

Cum nuperrime Vos, *Commilitones dilectissimi!* ad Sacra Iesu Christi natalia pie celebranda exhortaremur, de inscriptionibus hebraicis, hic Erfordiae repertis, nonnulla sumus praefati. Annente diuino numine, aetas nostra in id tempus incidit, quo dies festos anniuersarios nomine resurrectionis nostri saluatoris agimus; animus itaque nobis est illam materiam de cippis iudaicis inceptam prosequendi. Desribentes hos lapides indicabimus loca, quibus cuilibet amatori antiquitatis eos videre licet, explicationemque, vt studiosi in hebraicis parum versati alias cippos sibi fortassis obuios simili modo eruere queant, sumus adiecturi; praeципue, quia haec monumenta huc usque nec collecta nec descripta sunt, cum tamen ad historiam Iudeorum Erfordiensium medii aei, ad Palaeographiam hebraicam, artis, antiquitatis et consuetudinum cognitionem aliquid facere videantur.

Interpretatio talium monumentorum variis laborat difficultatibus. Primum, omnia fere verba una serie, absque intervallis et signis distinctionis scribuntur. Deinde, forinae quarundam litera-

rum in libris impressis iam iam affines, in istis lapidibus ob maiorem formae affinitatem, difficilius distingui possunt, in quibus praecipue ב et ב, ג et ג, ד et ג, ר et ה, ח et נ, ו et נ, ו et נ, מ et נ *) nomino. Porro, varia scribendi compendia, quae saepissime vnica dictionis litera notantur, addita superne apicula, (corona seu anguli signo) sunt immixta. Quarto, abbreviationes istae non certa vbiique significatione gaudent, vt multo magis varias explicationes admittant, ipsis Iudeis non vnam eandemque resolvendi abbreviaturas rationem sequentibus. Quinto, auctores Iudaici haud pauci Paronomasiam, verborum lusus, eorumque detortiones, elegantiam styli putantes, saepe hoc fuso verum inscriptionum sensum obscurant. Denique, a vero neutram abhorret, quod ex sculptorum inscritia et imperitia varia sphalmata passim fuerint commissa; sicut etiam apud nos illi, quibus monumentorum exsculpendorum negotium datur, saepissime litera-

*) In WOLFGANGI LAZII opere doctissimo *De aliquot gentium migrationibus*, sedibus fixis, reliquis etc. Basileae 1572 Fol., cuius pagina 19^{ma} quatuor inscriptiones antiquas in agro Grumpendorfensi, haud procul a Vienna detectas, exhibit, iidem errores lectorem offendunt. Primum e. g. monumentum sic sonat:

קִירְכִּי קַיּוֹגֶן הַגָּדוֹלֶה

quod esse deberet:

מַרְדָּכַי מַוּגֶן הַגָּדוֹלֶה

Mardochai e Sug (nom. propr.) magnus etc. similique modo מ cum ק, ה cum ח, ו cum נ, (e. g. loco זוינטראַו, Vintera, nom. propr.) vigies adhuc confunduntur. — Mirum est, quod has inscriptiones false expressas M. PAUL. IAC. ECKHARDUS in libro *Duo perantiqua monumenta ex agro Iutrebocensi eruta etc.* Wittembergae 1734 in 4. pagina 9^{na} fere eodem modo protulerit. Qui cippos ipsos adspexit, facile explicabit, quomodo aliquis talia perperam tangere queat.

literarum rudes, in errore deprehenduntur. — Quae cum ita sint,
interpretis error forte commissus aestimatori rerum aequo excu-
sandus videbitur.

Tribus cippis in programmate nupero consideratis, nunc ad
quartum accedimus.


IV

In coemeterio Michaelitano quatuor cippos sepulchrales videre
licet, quos vero temporis dentes non minus arroserunt, quam
praetereuntium pedes attruerunt; his enim via sub dio strata est,
ita ut in templum S. Michaelis intrantes super iis ambulent. In-
troeuntes per Sacellum S. Trinitatis et Mariae (hoc nomine sacel-
lum adiacens, secundum inscriptionem antiquam latinam superne
collocatam, est insignitum) hoc ordine eos offendimus.

Primus omnium maxime tritus lapis perpaucas tantummodo
literas, quae distingui possunt, exhibit. Octo literarum hebraica-
rum lineas insculptas fuisse, discernere licet. Ab primae lineae
initio literae ב, (fortassis בָּן, i. e. in epitaphio) adhuc extant;
in fine vero הַנְּצָבָה. Quid haec scribendi compendia, ex Iudeo-
rum pronunciatione *Rosche theimosis* רָאשִׁי תִּבְוֹת i. e. initia voca-
bolorum, sibi velint, in praecedente programmate pag. 14. expli-
cauimus.

V

Secundus horum quatuor cipporum haud longe abest a primo,
duobus tantum lapidibus aliis interpositis, satis bene conseruatus,
ita ut maxima literarum pars distincte legi, reliqua autem e nexu
solui queat. Maiore lapidis duritie et profundiore caelatura hic
prae reliquis conseruatus est. Hoc epitaphium sic habet:



Id est:

Saxum hoc
excisum est in memoriam illius,
quae mortua est in senectute,
Dominae Annae, filiae
Rabbi Orsegu sacerdotis,
mense Thamus, anno (Chr. 1290.)
50^{mo}, secundum computum minorem.
Sit portio eius in domo Dei!

Quaedam notae:

1) **להזות**, proprie, ad videndum seu adspiciendum, scilicet animo, i. e. ad recordandum, seu, in memoriam. Ut Hebraeis saepe est το dicere idem quod το cogitare, scilicet dicere animo, eadem ratione το videre significat το recordari.

2) **שנאספה** (propr. quae congregata est, scilicet ad patres, אל אביה, inde, quae mortua est.

3) **זקינה** (a) mulier senex; b) ex Rabbinismo: auia, quae significatio etiam huic loco congrua est, proles enim larga et nepotes in vxorum honorem laudemque cedunt. Iudei dicunt *Sikni*, auus meus, et *Siknossi*, זקנתי, auia mea. In versione allata itaque loco *in senectute*, si malueris *ut auia*, ponere potes.

4) **חננָה** est nomen foemininum, e. g. vxoris Elcanae, 1 Sam. 1, 2. vulgo Hanna; a rad. חנן gratiosus fuit.

5)

5) mensis Thamus maximam partem in nostrum Iunium incidit.


6) Nun coronatum: quinquaginta. Additis 240 et mille-nario, habes 1290 aerae Christianae.

7) multifariam explicari possunt haec scribendi compendia: a) יְהִי חֶלְקָה בַּאֲוֹר (חֶבֶן), et quia sermo est de foemina חֶלְקָה, sit portio eius in luce! portio autem seu pars, sors, eodem sensu usurpatur, quo ἀληφος in versione graeca LXX et in N. Test., vbi pro omni, quidquid alicui contingit siue sorte, siue hereditate, siue alio modo, et praecipue pro felicitate in futura vita sumitur; qua cum dictione conferre iuuabit Coloss. 1, 12. τῷ οἰκανωσαντι ὑμᾶς εἴς την μεριδαν τῷ ἀληφα τῶν αἰγαίων εν τῷ Φωτι. b) Literae initiales explicari etiam possunt hoc modo: יְהִי חֶלְקָה בְּאֱלֹהִים, sit portio eius cum Deo! Ios. 22, 25. 27. c) Vel quoque sic: יְהִי חֶלְקָה בְּבֵית אֱלֹהִים. Eccles. 4, 17. Hoc tertium in textum assumsimus, quod nil aliud est quam Vivat apud Deum! Vivat cum Deo! Sit felix!

8) Vterque circellus, alter alteri impositus mera condecoratio esse potest. Si vero perpendimus et angustum spatium, quo sculptori labor nascebatur hos circellos intrudendi, et morem iudaicum fere ybique ingeniosis argutis ludendi, nec paene ullibi sententia parentia ornamenta adiiciendi, collatis porro iis, quae nuper ad cippum primam attulimus, hypothesis illa non a verisimili omnimode abhorret, quod circelli fortassis duas literas Samech significant, Selah Selah innuentes, quas sculptor ob spatii penuriam unam alteri super imposuerit. Ceterum nobis non litigandi mens est, si quis eas pro signis sensu destitutis habere malit.

VI.

Lapis tertius in coemeterio Michaelitano a latere sinistro antea descripti situs est, eiusdem magnitudinis, trium pedum rhenanorum longitudinis et duorum latitudinis. Lapidis materia minus dura calcantibus sensim sensimque terentibus tot pedibus resistere non valuit, adeo ut multo magis literarum maxima pars euanuerit. Cum hic lapis transuerso modo in semita stratus est, vti tres reliqui, ita ut ambulantes in ea medias lineas praecipue attenuauerint, linearum duntaxat prima et secunda, octava et nona dignosci possunt. Res sic se habet:



Hoc
saxum
mortuo desiderato excisum est,
qui . . .
• . . .
• . . .
• . . .
anno trigesimo quarto
millenarii sexti. Selah!

Annum 5034^{rus} a creatione mundi secundum numerum Iudeorum coincidit in annum 1274 aerae christianaæ.

VII.

VII.

Quartus denique cippus paululum remotior ab antecedente,
versus domum Pastoris spectat. Huius lapidis durities trituram
fere continuam absque dubio contumaciter contempsisset, nisi cae-
lum seu scalprum, cui durissimus lapis resistere nequit, nouam
inscriptionem addere tentasset. Est quasi codex rescriptus, cuius
noua inscriptio superaddita priorem fere oblitterauit. Negotium,
si parua cum magnis comparare licet, simile illi, quod Knittelius
in explicanda versione gothica Vlphilae adhibuit, impendere ne-
cesser fuit, ut hoc erueremus:



Notae:

1) **לייר** ex mente nostra est

2) Litura in tertia linea, vt nobis verisimile est, sic expletur:
ההכם נזול רבוי, i. e. sapiens ille magnus Rabbi; vel

B

רבנו

מֹהָרֶר קָדוֹשׁ רַבִּי נָנוֹ sanctus ille dominus doctor noster; vel מֹהָרֶר et
מֹהָרֶר וְרַבִּי נָנוֹ (Meharrer et Muharrer) i. e. doctor
noster et dominus noster, magnus ille Rabbi.

3) *הנְּהָרָג* qui occisus est; quanam occasione seu quoniam au-
ctore, epitaphium non explicat. Forte respicit ad turbulenta tem-
pora illa, quae hoc, praecedentibus sequentibusque annis Erfor-
diae atrocissima fuerunt, in quibus hic Iechiel diem obiit supre-
num. Si res quaedam illis temporibus ad manus veniebat, haud
raro vel brachiorum pedumque debilitatione vel vitae priuatione
conficiebatur. Causa in damnum Iudeorum sic iudicata, Erfor-
dienses placati in congreessione occisum Iudeum a suis sepeliri fa-
cile permittebant, etiam coherestari cippo, ipsis forte ignoto *).
Si haec nostra explicatio vni alteriue displicet, legere potest, ob
affinitatem formae τσ Resch cum τω Daleth, *הנְּהָרָג*, vt sit nomen
proprium, *Hanhadag*; ceterum hoc nomen proprium in WOLFII
bibliotheca hebraica, BUXTORFIO aliisque frustra quaesiuimus,
quanquam in Wolfio 27 Iechieles nominati describuntur.

4) Vestigia literarum lineae quintae lubrica formam allatam
habent. Prima lineae pars quidem conuenit, vt nobis initio in
mentem venit, cum בְּחַמְתָּה, aliisque nominibus, vera autem re-
solutio haec esse videtur: בָּרְ מֹשֶׁה הַנְּחָן filius Rabbi Mosis sacer-
dotis.

5)

* Duodecim vix annis postea elapsis, anno scilicet 1549 quinque vel sex
millia Iudeorum, testibus libris chronicis, e. g. S. Petri, aliisque
libris, e. g. Falkensteinio, Gudeno etc. cremarunt et trucidarunt Erfor-
dienses. Videatur Falkensteinii hist. crit. et dipl. ciuitatis Erfurtensis,
e. g. p. 213 seq. GUDENI historia Erfurtensis, pag. 103. collato eo,
quod cel. DOMINICUS in libro suo praeclaro: Erfurt, nach seinen geogr.
etc. Verhältnissen, Tom. I. et pag. 312. ad annum 1537 et pag. 521
seq. allegauit.

5) $\text{\textcircled{v}}$ est 97. qui annus respondet 1337^{mo} aerae christianaæ.

6) Sit *Anima Eius Ligata In Fasciculo Viuentium!*

Quos quatuor lapides nuper prime depingentes optauimus, vt ecclesiae inspectores, eos e via strata auferendo et ad parietem erigendo olim seruauerint, vel vt huius templi concionatores toties totiesque praetereuntes eos, in praesentem tristem statum nondum redactos, antehac descripserint *). Hanc spem ponebamus praeципue in defunctum Beslerum, reuerendi ministerii quondam Seniorem, huius aedis per quadraginta annos concionatorem, antiquitatum amatorem et in lingua hebraica bene versatum. Locuti itaque sumus hacce de re cum eius nepote, Dno Candidato Wein gaertnero, sed hic de his quatuor lapidibus tantummodo unicum epitaphium descriptum inter aui manuscripta inuenit, et quidem idem, quod adhuc nunc satis perspicue legi potest, et quod sub No. V. adpositum interpretati sumus **).

B 2

gaert-

*) Idem optatum iam ante 80 annos protulit WEINRICHUS, in libro cui titulus est: Kurzgefaste und gründliche Nachricht von den vornehmsten Begebenheiten der uralten und berühmten Hauptstadt Erfurt in Thüringen etc. Frankfurt und Leipz. 1713. 8. pag. 49. „Auf dem „Judenkirchhof hat man noch vor wenig Jahren etliche ebräische Epitaphia gefunden; und ist zu verwundern, dass sich niemand daran gemacht, solche ein wenig aufzusuchen.“ — Cui addimus; In loco eo, in quo Iudeorum coemeterium quondam situm fuit (i. e. hortus Müllerianus et Hölscherianus ad vallum inter portam Andreae et Mauriti) nulli amplius cippi hebraici extant. Post Iudeorum ejectionem ex vrbe hi lapides partim ad murum sub vallo aedificandum consumebantur, partim tanquam res nullius quoquoversum, vt fieri solet, dissipabantur. Hinc patescit, quomodo nunc diuersissimis locis talia rudera inueniantur.

**) Haec monumenta, praecepue V. VI et VII, tanquam tabulas e naufragio seruare, etiam nunc temporis pretium est. Locus illis assignatus in pariete magis idoneus esset quam sub dio in via strata.

gaertnerus duas alias inscriptiones ab aeo suo exaratas perhumane nobiscum communicauit, quarum originalia saxa quidem huc usque non inuenimus, quae vero absque dubio hic sunt, cum eas b. defunctus Beslerus in eandem schedulam, quae allatam inscriptionem exhibet, notauerit. Adposituri itaque has cum nostra versione, cum beate defuncti explicatio ex nostra mente non satis recte sit confecta, animaduersiones paucas adspergimus.

VIII.

א	Lapis sepulchralis.
חַמִּישׁ	Quinto
וְמֵיסָ לִירָה	die mensis
אֶלְולָ בְּיֹם רַ	Elul, feria quarta
נְקַבֵּר רַ יְחִיאָ	sepultus est Rabbi Iechiaia,
בָּרַ יְחִיאָ שָׁנָת	filius Rabbi Iechiaiae, anno
קָמָבָ לְפָרָט	142 secundum comp. min. (Chr. 1382)
תְּנַצְּבָה	S. A. E. L. I. F. V.

Notae:

1) א (א) est abbreviatura אָבִן כָּבֵד, lapis sc. sepulchralis; alias א significat אָמֵן, Amen, quod interdum in cippis, in fine positum, sed plerumque ter repetitum, et cum ס, i. e. Selah coniunctum occurrit.

2) Elul mensis magnam partem in nostrum Augustum incidit.

3) die quarto, sc. septimanae. Iudei non tantum diem mensis, sed et diem hebdomadis, expressis verbis saepe indicantes, nominant יוֹם רַ Iom dollet diem Mercurii, d. ፩.

Simili modo Syris est אֲזַהָּן כְּמַהָּן dies quartus dies Mercurii.

Hoc scribendi compendium in Buxtorfi libro De abbreviaturis hebraicis deest.

4)

4) יְחִיא nomen proprium Iechiaia, satis tritum, vulgo Ielia dictum, inuenies 1 Chron. 15, 24.

5) קָמֵב i. e. $100 + 40 + 2 = 142$. Si addideris 240 habebis 382, hoc est 1382 a Chr. nato.

Periculum nobis fuit cum a Prof. Hermanno compertum habuimus, quod cippus quidam Erfordiensis hebraicus in libro, cui titulus est: Fortgesetzte Sammlung von alten und neuen theologischen Sachen etc. Sechster Beitrag auf das Jahr 1730, Leipzig, pagina 876, quem librum amanter nobis impetravit, inueniatur, In hoc libro nostra allata inscriptio expressa est, et anonymus adit pagina 877. „Dies Epitaphium ist zu Erfurt in der Karthäuser Kirche an der Wand gefunden worden, und daraus zu schliessen, dass um diese Zeit allerdings noch Iuden in Erfurt gewohnet.“ — Adiuimus coenobium Carthusianum, sed non amplius inuenimus. Reparata ecclesia eodem anno, quo liber ille adparuit 1730, nemo scit, (et quis diuinare potest?) quo abiectus seu contectus sit ille lapis. Visitatio haec nihilo minus nobis magno fuit gaudio, quia fauore cl. Virorum rev. P. Prioris Bradenii et P. Albogardi alias notatu dignam inscriptionem hebraicam, quae in horto latet, dein describendam, cognouimus.

IX.

Alterum in autographo defuncti Senioris Besleri seruatum epitaphium sic sonat, cui nostram versionem secundum verba expressam addimus.

בֶּצַיּוֹן	In cippo sepulchrali
הַוָּה הַקּוֹרָא	hoc viator (legens)
יְחִיא שְׁהַוקָּם	conspiciet id quod positum est
לְרָאשׁ לְשָׁמְעוֹן	iuxta caput Rabbi Simeonis
בֶּרֶאשֶׁר אַשְׁר	filii Ascheris, qui
נָאָסָף בְּשִׁנְתָּה	congregatus est (scilicet ad patres), anno
שְׁלַטְשִׁים וְאֶחָד	trigesimo et primo
לְאַלְפָ שָׁשִׁי	millenarii sexti. (1271 Chr.)
וּוְהָר עֲדָן	Splendor Edenis sc. luceat defuncto! Obser-

Observationes.

1) הוה construi non potest cum verbo, cui in hac linea adpositum vides, sed cum nomine, *in hoc cippo*; non: haec legens.


2) proprio legens, contemplans, pro quo dicimus viator.

3) קומ in Hophal, qui constitutus est.

4) Eden, quo primi parentes secundum Mosis relationem ab initio vixerunt, est Hebraeis locus summae felicitatis symbolicus, uti Paradisus, Abrahae sinus, stellarum coelum, coelestis sedes etc.

X.

Splendidissimum lapidem, paulisper mutilum, in horto monasterii Carthusiani repertum, tredecim lineas exhibentem, corundis loco sumus adposituri.



Id est:

Hic

sepultus est vir . . .

sapiens et solers . . .

reuera pius, valde senex . . .

Moses filius Rabbi Calonymi .

cuius Iucerna extincta est et qui
abiit ad domum suam
aeternam,

feria sexta, die quarto mensis
Schbat. In lapide hoc
delineatur is, qui studuit in
executione

benescentiae et commercium
exercuit sincere,
et qui conditus est sepulchro,
anno

151 (Chr. 1391) ad comp. mil-
lenarii

sexti. S. A. E. L. I. F. V.

Amen, Amen, Amen! Selah,
Selah, Selah!

15

Explicationibus grammaticalibus ob spatii penuriam praetermissis, vnicam historicam animaduersionem allegabimus, quae speciminis loco probare potest, cippos hos in historia minime contemnendos esse. De aetate codicum hebraicorum praestantissimorum, in bibliotheca ministeriali, quae hic est, asseruatorum, parum certi constat, quanquam codicum aetas in critica textus hebraici Veteris Testamenti maximi sit momenti. Nomina quidem eorum, qui codices nostros vel exararunt, vel punctis instruxerunt, vel postea possiderunt, passim adscripta inueniuntur, sed tempus, quo vixerunt, non est notatum. Ex his lapidibus aetatem vnius alteriusue scriptoris, punctatoris et possessoris erui posse persuasi sumus, et hic allatus cippus Carthusianus nobis mirum exemplum praebet. In hebraicorum codicum thesauro Erfordiensi, de quo alia occasione fusius loquendi nobis mens est, extat etiam *Masorae codex*, de cuius aetate plane nil scimus, nomen tantum iunioris punctatoris adiectum est. In prima scilicet pagina et in ligatura anteriore characteribus iudaicis verba sequentia leguntur, quae, defectu typorum iudaicorum, hebraicis describemus:

קלונימוס נקדן בן ר' אליעזר

i. e. *Calonymus* (Klonimus nakkedan) est *Punctator*, filius Rabbi Elieseris; quo discimus, punctatorem, a codicis scriba diuersum, fuisse quendam Calonymum. Nunc in nostro cippo inuenimus, Mosen, filium *Calonymi* mortuum esse anno 1391. Posito itaque, quod hic ibique nominatus Calonymus sit vnuis idemque, quod ob raritatem nominis haud absonum videtur, sequitur, codicem *Masorae* iam antea extitisse. Cum vero filius punctatoris illius *Calonymi* in cippo valde senex (*יטיש*) mortuus esse affirmetur, a verisimili non abhorret, si codici adhuc 40 seu 42 annos praecedentes tribuimus. Quae cum ita sint, hypothesis nostra, quod omnis codicum thesaurus in persecutione Iudeorum magna illa, anno 1349
iam

iam iam in manus Christianorum deuenerit, ratione Masorae magis confirmatur quam refutatur.

Conuertimus nos ad scopum huius programmatis, Vobisque, *Comimitates suauissimi!* festum instans resurrectionis Domini nostri Iesu Christi sancte celebrandum, commendamus. Habeatis dictum illud Apostoli Iacobi (1, 27.) mentibus vestris infixum, dictum auro pretiosius, quod *witutem puram christianam paucis verbis prodit:*

Θεησηια καθαρα εσι — ασπιλον εσυτον τηρει.

Ardentissima fundimus vota pro Te, Eminentissime ac Celsissime Princeps Elector, FRIDERICE CAROLE IOSEPHE! S. Sedis Moguntinae Archiepiscopi, S. Romani Imperii per Germaniam Archicancellarie, Princeps et Episcopi Wormatiensis, cet. cet.! vt Deus T. O. M. Te, patrem patriae dilectissimum, omni felicitatis genere cumulatum, statibus Tuis Moguntinis et Erfordiensibus fidelibus din seruet, et quaecunque a Te mala remoueat.

Sponte iuuare soles artes, pulchrasque Camoenas,

Hinc merito Musae TE celebrare solent!

Nec minus ardentia vota fundimus pro Te, Reverendissime ac Illustrissime Domine, Domine, CAROLE THEODORE ANTONI! Lib. Bar. de DALBERG, Archiepiscopi Tarsensis, Conduktor Moguntiae, Wormatiensis et Constantiensis, nec non ciuitatis et territorii Erfordiensis Proprinceps, Domine noster clementissime! vt numen supremum Te, qui in consiliis ad publicum bonum inueniendis miram dexteritatem, in communicandis probitatem, et in exequendis constantiam ubique probas, indeque ab omnibus sincere amaris, ad seram usque posteritatem beet.

Hoc TVA promeruit pietas ac ardor in artes

Quique pios ausus sponte iuuare soles!

Publ. sub sig. Rect. Fer. I. Pasch. MDCCCLXXXIV,





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1757160353/phys_0021](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1757160353/phys_0021)

DFG




Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1757160353/phys_0022](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1757160353/phys_0022)

DFG







proprium Iechania, satis tritum, vulgo Iehia
Chron. 15, 24.

$100 + 40 + 2 = 142$. Si addideris 240 habebis
Chr. nato.

nobis fuit cum a Prof. Hermanno compertum
ppus quidam Erfordiensis hebraicus in libro,
gesezte Sammlung von alten und neuen theo-
r. Sechster Beitrag auf das Jahr 1730, Leipzig,
librum amanter nobis impertivit, inueniatur,
llata inscriptio expressa est, et anonymous ad-
Dies Epitaphium ist zu Erfurt in der Karthäuser
gefunden worden, und daraus zu schliessen,
llerdings noch Iuden in Erfurt gewohnet.“ —
n Carthusianum, sed non amplius inuenimus.
dem anno, quo liber ille adparuit 1730, nemo
re potest?) quo abiectus seu contextus sit ille
c nihilo minus nobis magno fuit gaudio, quia
rev. P. Prioris Bradenii et P. Albogardi alias
ptionem hebraicam, quae in horto latet, dein
ouimus.

IX.

ographo defuncti Senioris Besleri seruatum epi-
ui nostram versionem secundum verba expres-

cippo sepulchrali
viator (legens)
aspiciet id quod positum est
ita caput Rabbi Simeonis
i Ascheris, qui
aggregatus est (scilicet ad patres), anno
gesimo et primo
Ilenarii sexti. (1271 Chr.)
endor Edenis sc. luceat defuncto! Obser-